

custodiam partus legitime adhibitis, cum id falso praetextu fuisse excogitatum cognovisset; eadem castra et castellum, favorabiliter non semel repetere dignata fuit.

§. 3. Verumtamen dictus Petrus Keglevyth, nulla justi et honesti, nulla Clementiae et favoris ejus Majestatis habita ratione, ea nequaquam reddere voluit.

§. 4. Deinde memoratam suam filiam, Magnifico Ladislao Bánffi de Alsó-Lindva, nuptui tradendo, semel, atque iterum vocatus, sub salvo conductu, ante aliquot menses ad Regiam Majestatem Viennam venit.

§. 5. Ubi coram ejus Majestate in consilio, praesentibus ibi nonnullis Dominis Praelatis et Baronibus, Consiliariis Majestatis Suae, eorum omnium, quae in eodem consilio acta sunt, testibus locupletissimis (reliqua enim omnia, luce meridiana sunt clariora) idem Petrus Keglevyth, personaliter comparens, manumque suam pectori imponens; ad clementem, piamque et paternam Suae Regiae Majestatis admonitionem, licet castra et castellum praenominata, manibus hominis Suae Majestatis, quem ad id elegerat, pro debito probi servitoris et subditi, ad fidem suam Christianam reddere et restituere, sponte, libereque promiserit; Suaeque Majestas, illa ad manus Venerabilis Domini Alberti Praepositi, Praefecti Camerae Suae Regiae danda et restituenda, in praesentia ipsius Petri Keglevyth commiserit:

§. 6. Idem tamen Petrus Keglevyth, juribus Sacrae Coronae et generali Constitutioni Novizoliensi, qua omnia castra, castella, ac alia bona et jura possessionaria per hos annos indebite occupata, illis, ad quos pertinent, sub nota perpetuae infidelitatis restitui commissa sunt, temere se opponere; promissionemque suam violare non formidans; praetacta castra Chaktornya, Strigo, Szent-György et castellum Kaproncza, cum cunctis eorundem pertinentiis, ac aliis bonis et juribus possessionariis, manibus praefati Domini Praepositi tradere et assignare minime voluit, sed ea pro se retinere et conservare privata autoritate, ausus est.

§. 7. Ne igitur alii quipiam exemplo ejus ducti, maxime pro temporis hujus periculosa conditione, similia patrare praesumant: Et alioquin, cum eundem Petrum Keglevyth annis superioribus, posteaquam Egregius Stephanus Deesházi sine haeredibus decessit, castrum Szomszédvára, castella item Szellyen et Sztubicza in Regno Sclavoniae habita, interceptisse; eaque ex ejus manibus praefatam Regiam Majestatem vix tandem eripuisse constat:

§. 8. Statutum est; quod, si idem Petrus Keglevyth, castra praescripta et castellum, intra spatium duorum mensium, a praesenti die numerando, in reformationem existimationis, opinionisque suae, apud bonos quosque viros modo praemisso gravatae, Majestati Suae reddiderit; subindeque Majestatem Regiam temere laesam reconciliaverit, et posthac omnia praemissa male acta sua diluenda curaverit; bene quidem:

§. 9. Alioqui, ipse Petrus Keglevyth, vigore praesentis Constitutionis nostrae, tanquam notorius infidelis Suae Majestatis et Regni, nota perpetuae infidelitatis et amissione capitis et omnium bonorum suorum, ex nunc prout extunc et extunc prout ex nunc, publice et manifeste de jure et de facto condemnatus sit et proscriptus.

§. 10. Universi item Nobiles, servitores ejusdem Petri Keglevyth, Regni hujus et Partium sibi subjectarum indigenae; statim expleto ipso termino duorum